Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2241
Quelle:
Copyright:

Fol. 469. p. 2. *Sermo de corpore christi per Episcopum firmanum Johannem*, ut *Cod.* in principio *cit. Caro mea vere est cibus* &c.

Fol. 476. p. 2. fine inscriptione Sermo, cujus Thema: *Domine, ego seruus tuus sum. Ps.* CXV. Est *Manfredi de Cruce* Abb. et Oratoris *Philippi Mar.* Ducis *Mediol.* coram. Imp. *Sigismundo*, ut alias relatus et obvius apud *Herm. v. d. Hardt* T. V. p. 109. et *Labb.* T. XVI. *col.* 1307. Ad finem Codicis: *Crematus Hus Hereticus sexta Julij Anno Domini M° CCCCXV.*

DCCCCXXXVI.

U.747 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 360. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus sequentia ad *Concilium Basileense* complectitur: I. *Opus Reuerendissimi Cardinalis Panormitani* (Nicolai de Tudescis Siculi O. S. B.) *de triplici Veritate Sacri Concilij Basilien. Editum et recitatum Francfordie coram Imperij et electorum eiusdem oratoribus quod sic feliciter incipit. Quoniam veritas verborum lenocinio non indiget, ideo quanto verbis simplicioribus proponitur tanto maiori claritate relucet* &c. In calce tamen habetur: *Expliciunt ea que dedit in scriptis* &c. Quamvis utrumque facere potuit. Acta sunt haec a Viro in utroque Jure versatissimo et hinc *Juris Lucerna* dicto an. 1442. Itaque non coram *Sigismundo* Imp. ut hallucinatus est *Mansius* T. IV. *Supplem. Concill. col.* 1416. qui de Tractatu hoc mire tricatur, *Nicolaum*que non ad veritatem, sed ad compendium suum pro animi affectu et fortunae aura scripsisse concludit. *Triplicem* illam *Veritatem* Autor porro e triplici Quaestione edicit: *Primo. An fuerit et an hodie sit in Civitate Basilieu. Concilium generale Ecclesiam universalem legitime representans. Secundo. An ipsi Concilio generali eo posito affuerit facultas et potestas legitima prefatum quondam Eugenium suspendendi et deponendi et per consequens alium in sede apostolica surrogandi. Tertio. An cause propter quas depositus est fuerint iuste sufficientes et rationabiles.* Antequam vero haec pro Concilio et *Amedeo* seu *Felice* V. evincere conetur, origines Synodi *Basil.* inde a *Martino* V. enarrare instituit. Citat Tractatum *Trithemius* in *Scriptt. Eccl. n.* 781. De Editionibus adi *Caveum* et *Fabricium.* Mihi adjacet *Lugdunensis* char. goth. *s. a.* 8.

II. *fol.* 61. p. 2. sequitur *Tractatus Vniuersitatis Cracouiensis De auctoritate ecclesie et facultate et veritate Basilien. Concilij.* Ad calcem dicitur *editus Anno Domini M°. CCCC°. XLI°.* Init Autem: *Deliberantibus nobis quid super instanti requisicione karissimorum virorum videlicet Marcij Bonifilij sacre pagine, Stanislai de Sobnyow prepositi Tridentini et Canonici Cracouien. in Artibus liberalibus Magistrorum, Derslaij de Borssynow Decretorum Doctoris*